



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 48. Et venit ad discipulos suos & inuenit eos dormientes. v. 44.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Spiritu & vniuersis viribus suis fuisse erectum atque extensum ad obsequium, & honorem patris sui, Spiritus namque diuinus naturam illius cum viribus, eiusdem suauiter complexus erat, reddens eas subditas legi & scripturis omnibus quæ de ipso erant, vt perficerentur ea juxta gratissimam patris voluntatem, ideoque Corpus & animam & quidquid habebat obedienter obtulit in manus omnipotentis patris sui, optans vt cuncta in se perficerentur quæ ab æterna sapientia Dei & Consilio Spiritus sancti decreta & præfinita erant, & hic quidem in hoc Spiritu pace & quiete seuebatur, eo quod simpliciter se se resignarat Deo Patri absque vlla huius vel illius electione, vnde postquam pro nostra institutione rogauerat patrem, vt tolleretur à se calicem passionis, statim correxit & dixit ad eandem nostri cruditionem: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*

OIncomprehensibilis charitas Christi Iesu quem non amor hic feruentissimus accendat? quis fructum, vtilitatem, salutem, & sempiterna bona cogitare sufficiat quæ nobis ex hoc verbo maxime salutifero nata sunt illo scilicet: *Veruntamen non sicut ego, sed sicut tu.* nimirum istud omnium est saluberrimum verbum, quod vnquam dictum fuit, quia isto verbo filius Dei nos mercatus est, ita vt dando Patri æterno voluntatem suam, pater vicissim dederit in illius arbitrio voluntatem suam, & sic iam inde ab huius prolatione verbi, cœlestis pater antiquas posuerit inimicitias omnemque iram suam mutauit in misericordiam, recipiens nos in gratiam, adeo vt iam simus filii Dei & cohæredes Christi regni cœlorum, qui antea eramus iræ filij & hospites tenebrarum.

Venite iam deuoti omnes & quotquot estis bonæ voluntatis, qui in virtutibus proficere desideratis, contemplantini hic ipsum virtutum speculum, perfectionis viam. Sequimini Dominum vestrum, iisdem ingredimini vestigijs quibus vos ille præcessit; discite hic propriam abnegare voluntatem & exequi diuinam: discite sensualitatem & vitiosas propensiones vestras, à Deo vos abstrahentes vincere & in Spiritu redigere seruitutem, vt juxta S. Pauli sententiam, sensus omnes sub freno & ad vestram habeatis voluntatem ad obsequium Christi, tunc vicissim faciet Dominus omnes voluntates vestras: O felix commercium, felix commutatio!

3. 48. *Et venit ad discipulos suos & inuenit eos dormientes. v. 44.*

Postquam Deum Patrem orasset, pro auertendis malis nostris, nec spem nec consolatorem inueniens, præ angustia cordis surgit, & quærit discipulos, an fors per ipsos in hac sua pro nobis assumpta desolatione aliquod

D

solatium

folatium habere possit, & inuenit eos dormientes, ex quo haud dubie addebat-
tur afflicto afflictio altera, & maior, quod fidissimi sui iam in hac sua hora
angustia dormirent, qui paulo ante promiserant se unâ cum eo ituros ad
mortem.

AH Domine quoties intus per inspirationes sanctas & exterius per san-
ctos Prophetas & Apostolos te clamantem audiuius, ut vigilemus,
nescientes qua hora Dominus uerturus sit, quoties audimus, quod tanquam
leo ragniens circumeat dæmon quærens quem deuoret &c. & ecce quam
parum curauimus, tantum tamque præsens periculum! Concede igitur per
hanc tuam angustiam ut siue mane me quæsieris, siue in meridie, siue de no-
cte, siue alia hora, non me dormientem inuenias in peccatis, sed vigilem su-
per me & curam habeam rei mihi commissæ, ut rationem omni tempore
& bene, queam tibi Deo meo aduenienti reddere. ne alias in tenebras exte-
riores proijciat tanquam seruus iners, qui nullam curam habuerim salutis,
aut talentorum mihi creditorum.

§. 49. *Et dixit Petro: sic non potuisti vna hora vigilare mecum? v. 40.*

Petrum arguit specialiter præ omnibus ex tribus, quia præ cæteris dig-
nior erat, & secundum Christum discipulorum caput, tum quia animosius
præ alijs, non se scandalizandum fuerat gloriatus, sed quia & alij idem di-
xerant omnium etiam infirmitatem castigauit, dicens: *sic non potuisti vna
hora vigilare mecum?* certè quomodo Dominus semel arguit Petrû & alios dis-
cipulos negligentiæ, ita potiori jure arguit nos quotidie, quod non vigilemus
cum Christo certando contra insultus inimicorum, & mortificando appeti-
tus sensuales, qui toties promittimus vigilare, & proposita bona sequi, non
amplius redituros ad ea quæ defleuimus, & ad occasiones malas, & tamen
ipso quasi momento relabimur, in priorem somnum & peccata. O fragili-
tas humana, ne dicam de quibusdam, contumacia peruersa, & iniquitas
continuata!

Domine, da gratiam, ut ita vigilem semper super me meam miseriam, &
super te magnalia tua considerando, ut præsentiam tuam, potentiam,
iusticiam, ac seueritatem contra insensatos peccatores, apprehendens meas
imperfectiones & peccata deplem, ne imparatum me semel hostis inue-
niat, & prosternat, unde merear à te æternum increpari: perseueret in me
suavis tua correptio ad salutem, quæ in S. Petro operata est abundantem fon-
tem lacrymarum, & gemituum amoris.

§. 40.